gonus et exagonus positis triangulis perficiantur. Septem enim eptagonus nascitur ex senario exagono et uno potestate triangulo. XVIII uero eptagonus ex .xv. exagono et ternario triangulo coniungatur [uel componantur]. Et .XXXIIII. et .XXVIII. scilicet ~~pentagono~~ [exagono] et senario triangulo. Atque hoc in cunctis inoffensum semper perspicies. Videsne igitur ut primus omnium triangulus cunctorum summas efficiat et omnium permixtionibus misceatur. XVIIII. PERTINENS AD FIGURATORUM NUMERORUM DESCRIPTIONEM SPECULATIO

Hi uero omnes si ad latitudinem fuerint comparati id est trianguli tetragonis ut tetragoni pentagonis ut pentagoni exagonis ut hi rursus eptagonis sine aliqua dubitatione triangulis sese superabunt. Namque si senarium triangulum quaternario ut quaternarium tetragonum quinario ut quinarium pentagonum senario exagono ut senarium exagonum septenario eptagono comparaveris primo se triangulo id est sola transeunt unitate. At uero si senarius contra nouenarium ut hic contra duodecim ut hic contra quindecim ut quindecim contra decem et octo pro inueniendis differentiis comparaueris secundo se triangulo id est ternario superabunt. X. uero ad. XVI. et. XVI ad. XXII et XXII ad. XXVIII. et. XXVIII ad. XXXIIII si componas tertio se triangulo uincent id est senario. Atque hoc rite notabit in aliis [cunctis] sequentibus; sese pspectum omnesque se triangulis antecedere. Quare perfecte ut arbitror demonstratum est omnium formarum principium elementumque esse triangulum. XX. DE NUMERIS SOLIDIS

Hinc uero ad figuras solidas facilior uia est. Praecognitis enim quid in planis numerorum figuris uis ipsa quantitatis naturaliter operetur ad solidos numeros non erit ulla cunctatio. Sicut enim longitudini numerorum aliud interuallum id est superficies ut latitudo ostenderetur adiecimus ita latitudini nunc si quis addat eam quae alias altitudo alias crassitudo alias profunditas appellatur solidum numeri corpus explebit. XXI. DE PYRAMIDE QUOD EA SIT SOLIDARUM FIGURARUM PRINCIPIUM SICUT TRIANGULUS PLANARUM. XVI.

Videtur autem quemadmodum in planis figuris triangulus numerus primus est.